

31 si necesse sit. Sed si liceat disponere se, conspectum quoque et viciniam
32 fori procul fugiam; nam ut loca gravia etiam firmissimam valetudinem
33 temptant, ita bonae quoque menti neandum adhuc perfectae et
34 convalescenti sunt aliqua parum salubria. Dissentio ab his qui in fluctus
35 medios eunt et tumultuosam probantes vitam cotidie cum difficultatibus
36 rerum magno animo collectantur. Sapiens feret ista, non eliget, et malet
37 in pace esse quam in pugna; non multum prodest vitia sua proiecisse, si
38 cum alienis rixandum est. 'Triginta' inquit 'tyranni Socraten
39 circumsteterunt nec potuerunt animum eius infringere.' Quid interest quot
40 domini sint? Servitus una est; hanc qui contempsit in quanta libet turba
41 dominantium liber est.

42 Tempus est desinere, sed si prius portorium solvero. 'Initium est salutis
43 notitia peccati.' Egregie mihi hoc dixisse videtur Epicurus; nam qui
44 peccare se nescit corrigi non vult; deprehendas te oportet antequam
45 emendes. Quidam vitiis glorianter: tu existimas aliquid de remedio
46 cogitare qui mala sua virtutum loco numerant? Ideo quantum potes te
47 ipse coargue, inquire in te; accusatoris primum partibus fungere, deinde
48 iudicis, novissime deprecatoris; aliquando te offende. Vale.

Seneca, Epistula 28

Tekst 2

Canius en Pythius

1 Quod si vituperandi qui reticuerunt, quid de iis existimandum est, qui
2 orationis vanitatem adhibuerunt? C. Canius, eques Romanus, nec
3 infacetus et satis litteratus, cum se Syracusas otiandi, ut ipse dicere
4 solebat, non negotiandi causa contulisset, dictabat se hortulos aliquos
5 emere velle, quo invitare amicos et ubi se oblectare sine interpellatoribus
6 posset. Quod cum percrebusset, Pythius ei quidam, qui argentariam
7 faceret Syracusis, venales quidem se hortos non habere, sed licere uti
8 Canio, si vellet, ut suis, et simul ad cenam hominem in hortos invitavit in
9 posterum diem. Cum ille promisisset, tum Pythius, qui esset ut

10 argentarius apud omnes ordines gratiosus, pescatores ad se convocabit, et
11 ab iis petivit, ut ante suos hortulos postridie pescarentur, dixitque quid eos
12 facere vellet. Ad cenam tempori venit Canius; opipare a Pythio apparatus
13 convivium, cumbarum ante oculos multitudo, pro se quisque, quod
14 ceperat, adferebat; ante pedes Pythi pisces abiciebantur.
15 Tum Canius 'quaeso' , inquit, 'quid est hoc, Pythi? Tantumne piscium?
16 Tantumne cumbarum?' Et ille: 'Quid mirum?' inquit. 'Hoc loco est
17 Syracusis quidquid est piscium, hic aquatio, hac villa isti carere non
18 possunt.' Incensus Canius cupiditate contendit a Pythio, ut venderet.
19 Gravate ille primo. Quid multa? Impetrat. Emit homo cupidus et locuples
20 tanti, quanti Pythius voluit, et emit instructos. Nomina facit, negotium
21 conficit. Invitat Canius postridie familiares suos, venit ipse mature,
22 scalmum nullum videt. Quaerit ex proximo vicino, num feriae quaedam
23 piscatorum essent, quod eos nullos videret. 'Nullae, quod sciam,' inquit
24 ille, 'sed hic piscari nulli solent. Itaque heri mirabar quid accidisset.'
25 Stomachari Canius, sed quid faceret? Nondum enim C. Aquilius, collega et
26 familiaris meus, protulerat de dolo malo formulas; in quibus ipsis, cum ex
27 eo quaereretur, quid esset dolus malus, respondebat, cum esset aliud
28 simulatum, aliud actum. Hoc quidem sane luculente, ut ab homine perito
29 definiendi. Ergo et Pythius et omnes aliud agentes, aliud simulantes
30 perfidi, improbi, malitiosi. Nullum igitur eorum factum potest utile esse,
31 cum sit tot vitiis inquinatum.

Cicero, De officiis 3.58-60

Tekst 3

Zijn alcoholisten per definitie loslippig, of zijn er ook aan wie je best een geheim kunt toevertrouwen? Dat laatste is het geval, zo meent Seneca, en als voorbeeld daarvan beschrijft hij in onderstaande tekst Piso en Cossus, twee stadsbestuurders uit de tijd van keizer Augustus en Tiberius.

1 L. Piso, urbis custos, ebrius, ex quo semel factus est, fuit. Maiorem noctis
2 partem in convivio exigebat. Usque in horam sextam fere dormiebat: hoc
3 eius erat matutinum. Officium tamen suum, quo tutela urbis continebatur,